

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

21. Spiritus Vini vivae simplex Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Spiritus difficulter separari, etenim sese invicem amplectuntur, & destillando ascendunt junctim. Propterea mixtos & unitos Spiritus accende in vase vitreo, spiritus Vini comburitur, sed Calcis Spiritus remanet in vitro, quem reserva diligenter. Hic magnum est Arcanum, Spiritus pauci excedunt ejus efficaciam, modò sciatis ejus usum. Ipsius qualitates haud describi possunt per modum compendii. Hic Spiritus dissolvit oculos cancorum & cristallos durissimas; tria hæc destillata invicem per alembicum & sæpius cohobata, reddunt liquorem, cujus guttæ tres, adhibitæ in vino calido, frangunt & dissolvunt arenam & calculum corporis humani, liquor hic expellit istius morbi veram radicem vel causam absque ulla patientis dolore. Spiritus hic calcis ab initio est coloris cærulei, sed leniter rectificatus apparet albus, transparens & clarus, paucas post se relinquens feces. Spiritus hic dissolvit cimelia fixissima & lapides pretiosos; è contrariò fixat omnes Spiritus volatiles transcendentem calore suo. Spiritus hic vincit quæcunque Podagræ symptomata, etiamsi summè nodosa & tartarea, quæ omnia dissolvit & expellit radicaliter.

*Spiritus Vini sale harmoniaco vegetabili acutatus si accendatur, Communis Vini Spiritus comburitur, sal armoniacum autem incombustibile ascendit in forma liquoris, & Spiritus Vini igneus Basilii dicitur. Verum-enim-verò cum idem Spiritus vini sale harmoniaco conjunctus absorbeatur à Calce viva, & inde destilletur in seipsum, posteaque accendatur; Spiritus Vini Com. flammâ quidem consumitur, ut antea, at Calcis Spiritus, vel potius sal harmoniacum vegetabile, non ascendit, ut prius, sed remanet in Vitri fundo, quia magis digestum & fixius redditum. Ast pro majore horum spirituum Elucidatione, aliam addere spiritus Calcis descriptionem consultum duximus.*

## 21. Spiritus Calcis Vivæ simplex Basilii, *In Manualibus Operationibus.*

Re. **C**alcem vivam puram, quam combure in furno figuli, igne fortissimo, ut reducat ad exactam maturitatem, cui subtilissimè in marmore tritæ assunde in cucurbita Spiritum Vini

vini Confectum ex Tartaro philosophico ( uti docebo in metho-  
 do mea Conficiendi Aurum potabile ) ut calx fiat instar  
 pultis tenuis.

Hoc peracto , destilla inde phlegma ad calcis siccitatem,  
 affunde novum Spiritum Vini , & abstrahè. Repete id sexies,  
 tum contere materiam optimè , & pone in cella, ut dissolvatur  
 per deliquium , & spatìo paucorum dierum effluet inde liquor,  
 qui collectus & destillatus per retortam ex arena , primo emittit  
 phlegma per se servandum , postea liquorem spiritualementem quem  
 seorsim etiam serva. Jam R. Cristallos pulverisatas, quas  
 commisce cum eodem pondere sulphuris vivi vel mineralis;  
 materiam hanc combure , continuò agitando eam, usque quo  
 omne sulphur comburatur. Quam deinde reverbera igne aper-  
 to per tres horas. Hoc facto huic materiae affunde prædictum  
 liquorem. R. Etiam oculos cancerorum, quibus etiam in alio  
 vitro affunde eundem calcis liquorem. In calore satis forti  
 digerantur per 14 dies & ab ambobus ascendet humiditas quæ-  
 dam in superficiem , quam decanta subtiliter in vitrum parvum,  
 & rectifica in Balneo , & liquor remanèbit in fundo , ejus  
 grana tria in vino adhibita produxere valdè magnos & admira-  
 biles effectus. Medicina hæc curat etiam radicaliter calculum  
 vesicæ & renum tam in viris quàm feminis.

*Spiritus vini ex Tartaro philosophico, quam promisit Basilius  
 se daturum in Metho suo conficiendi Aurum potabile, omnia  
 antedicta Basili confirmabit Menstrua. Etenim cum illa ex sale  
 harmoniaco sive sale Tartari volatili diversimodè præparata  
 fuerint; hic Spiritus vini philosophici est acutatus sale Tartari,  
 non quidem communi Alkali, sed hoc redacto una cum Spiritu Vini  
 Phil. in liquidam substantiam; nam admonendi sumus, non sem-  
 per necesse esse conscire Lullii Cælum, cæteraque hujus generis  
 Menstrua ex Sale Tartari quatenus philosophicè volatilisa-  
 to, sed aliquando etiam idem confici posse menstruum ex sale  
 Tartari absque sui sublimatione, sive reductione in Sulphur  
 Naturæ vegetabile; sola Spiritus Vini Phil. cohobatione super  
 sal Tartari, donec destillando ascendat in forma liquoris lactei.  
 Ita fit,*

zz: Spi-